



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

VI. Propriè dictam Academiam sine Jurisprudencia esse posse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

la, quâ Marci Anachoretæ aureos libellos, è Græco ab se in Latinum conversos, inscribit, & dedicat Petro Canisso Societatis JESU celebri Theologo, postquam est questus cæteris in artibus non nisi peritorum judicia requiri, in rebus divinis indoctissimum quemque, quod commodum sit, sequi: ad extremum hæc addit. *Unicum fuit olim, & satis efficax his malis remedium, auctoritas conciliorum: quæ quondam pietate sacerdotum apud omnes sacrosancta habebatur, jam propter peccata nostra labefacta est, bellisque in dies magis vilescit, peneque deletur apud universos. Sola spes ferme est in puerilibus scholis, ut seminarium Ecclesie, quod in senibus jam emarcuit, in pueris resuscitetur.* Hoc adeò consilio, Princeps Illustrissime, non modò jam olim pueriles scholas, verùm etiam hanc Academiam tuis opibus condidisti, quam iccirco iis solis disciplinis consecrari voluisti, quæ canonicis institutis Ecclesiastico homini sunt permiffæ. Notum enim est iis juris civilis, & Medicinæ tractationem interdici. Fuit scilicet tibi curæ ea studia excitare, ad quæ colenda, refrigerente indies cælesti caritate, omnibusque quæstum, & popularem auram spectantibus, pauci sponte appellunt animum.

## CAPUT VI.

*Propriè dictam Academiam sine Jurisprudentia esse posse.*

**V**erùm, Illustrissime Princeps, hîc ego, quod pace fiat tuâ, cogor nonnullis rerum imperitis respondere, qui cùm audiunt, necdum tradi in Academia tua Jurisprudentiam, opinantur aliquid ei ad Universitatis nomen deesse. Eos ego non meis, sed hominum juris peritorum verbis hunc errorem dedocebo. Igitur Jacobus Middendorpius Westphalus, Theologiæ & Juris scientiâ clarus, libro, quem de



de Academiis edidit, cum nomina investigaret, quibus rectè hæc nostra publica gymnasia afficiantur, principiò rectè eis docet Academiæ nomen tribui, ac deinde ingressus sermonem de nomine Universitatis: Recentiorum, inquit, "quidam Scholas publicas, quòd auctoritate publicâ, sive" quòd idem ferè est, publicè instituuntur, quidam Univer-  
sitates appellare malunt. Non tam quòd omnes liberales ar-  
tes in eis doceantur, (multæ enim ad certarum tantùm disci-  
plinarum professionem eriguntur) sed quia Professoribus &  
Studiofis litterarum collegium, atque universitatem habere  
licet, quod alioqui jure prohibitum est. Petrus item Tolo-  
sas doctissimus Jurisconsultus, libro XVIII. de Rep. cap. VI.

Sunt, inquit, *arbitraria Principibus Ecclesiasticis & secu-  
laribus ut loca, in quibus velint scholas privilegiatas con-  
stitui, ita & quas ibi velint tradi scientias, sive omnes, sive  
certas. Quamvis enim omnes habeant commune vinculum,  
& constituent Encyclopediam, non tamen sequitur debere  
in uno eodemque loco simul tractari vel doceri. Possunt enim  
in diversis disci, & doceri. Neque ideò minus Universi-  
tas privilegiata in Gallia, aut alibi dicetur, si modò privi-  
legia concessa sint, quia ibi omnes artes vel studia omnia non  
tradantur. Sunt enim Scholastici & Doctores qui faciunt  
universitatem, & non diversitas scientiarum. Possunt ad-  
jungi semper scientiarum diversarum professores, jam intro-  
ductis professionibus, ut iisdem potiantur privilegiis, qui-  
bus jam fundatæ, non secus quàm nova studia aliis locis cum  
iisdem privilegiis, quibus jam potiuntur antiquæ Academiae.  
Sunt quippe hæc juris positivi, quæ mutari & augeri vel tol-  
li possunt arbitrio eorum, qui potestatem habent, maximè  
novâ ortâ justâ causâ. Quemadmodum Theodosius & Va-  
lentinianus professoribus artium liberalium privilegiatis,  
qui in civitate Romana, & Constantinopolitana docebant,  
addiderunt professores Philosophiæ, & legum doctores, &  
Clemens V. consiliumve Viennense, aliis addiderunt profes-*

*Vide capti-  
osè Rebuf.  
de tract.  
nomin. q.  
6. n. 13. Et  
in S. statui-  
mus 2. ad  
verbum  
Universi-  
tatis. de  
collat. in  
concord.*



*fores linguarum Arabica, Græca, & Chaldaica.* Denique quoties à Pontificibus, & conciliis Parisiense gymnasium Universitas dicitur? & tamen audi quid de ea narret Bartholomæus Cassanæus in Catalogo Gloriæ mundi: *Apud nos, inquit, tenetur pro prima, & principaliori totius Gallia universitate, quoad Philosophiam, Theologiam, Medicinam, & ceteras artes, sed non quoad leges. Quoniam in ea non docentur leges, nec jura civilia, ut est text. in c. super specul. extra de privileg.* Quis igitur audeat Paderbornensi Gymnasio propterea Universitatis nomen adimere, quòd ad eundem modum nonnullas Ecclesiasticis personis minus consentaneas disciplinas non tractet? Meliusne illi norunt cui Universitatis, sive Universalis studii nomen tribui possit, quàm Pontifex, & Imperator? Certe Paulus V. Pont. in suo diplomate testatur  
 „ hoc Gymnasium Paderbornense in Universitatem studii  
 „ generalis perpetuò erigere & instituere, vultque eam omni-  
 „ bus privilegiis non solum ad instar aliarum Universitatum,  
 „ sed pariformiter, ac æquè principaliter in omnibus, & per  
 „ omnia uti, potiri, & gaudere. Ad idem exemplum Im-  
 „ perator, in gymnasium, & studium Universale erigit, & de-  
 „ cernit, ut in ea gradum seu honorem assumentes, gaude-  
 „ ant privilegiis quibuslibet, quibus Universitas Heidelber-  
 „ gensis, Tubingensis, Friburgensis, Ingolstadiensis, ac alia  
 „ studia privilegiata, ac Doctores, Licentiati, Magistri, Bac-  
 „ calaurei, & Scholastici istic promoti, aut aliquâ dignitate  
 „ seu gradu insigniti gaudent, utuntur, fruuntur, & potiun-  
 „ tur. Qui igitur Paderbornæ negant Universitatem propriè  
 dictam esse, ii Jurisperitorum, & summorum Principum  
 inscientiam dum videntur fugillare velle, de-  
 monstrant suam.